

3

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS *manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-nonâ Februarii. 1705.*

M. PHILIPPO FONTAINE, Doctore Medico, Præside.

An primorum corporis naturalis principiorum cognitio, Medico necessaria?

I.

NUNQUAM ferè medicina non fuit; homo enim, animal illud plenum rationis & consilii, θαῦμα θαυμάτων, divinæ artis opus, & ad Dei ipsiùs imaginem factum, vix è manibus creatoris exierat, cum datum ab eo interdictum, sibi ac posteris, boni, malique noscendi funestâ spe & ambitione, violavit: atque hinc illi, ut prima mali labes, ita morborum & semoti priùs lethi dura necessitas. Huic ut necteret moras, illis ut auxilium afferret, inventa Medicina est, quæ morborum observatione & remediorum usu continetur. Paucorum illa & affectuum & auxiliorum fuit inter initia cognitio; sed cum prementibus morbis, suo quisque dolori solatium quæreret, & quæcumque sors offerebat, profutura, nocitura ve forent, incertus, arriperet, factoque periculo omnia tentaret, multiplicatis in dies experimentis, ex parvis, ut sæpe fit, exordiis paulatim amplificata & in artem redacta est. Sic primos in orbe Medicos necessitas, & per varios usus, artem experientia fecit; quæ, cum ad omnes pertineret, brevi crevit medicorum numerus, & non exerceri tantùm medicina, sed & doceri, suosque habere Professores cæpit. Variâ à variis itum est viâ; nulla omnibus penitus & æque arrisit, nec elapsis tot sæculis, adhuc dum arridet: alii sola experimenta & observationes; alii rationem & subtiliorem philosophiam, sive primorum, è quibus naturalia corpora sunt, Principiorum cognitionem; alias alii artes ad medicinæ & medicorum perfectionem adhibendas, necessariasque esse mordicus tuiti sunt, nec pauci, nostris his temporibus etiam contendunt. In hoc opinionum dissidio, cave ne quid, promovendæ artis animo, in eam inducas, vel extraneum & inutile, vel ægre, nullove obtinendum modo, dubiumque & incertum artificem, artemque ipsam quæ jam nimio plus longa est, & in quâ, si alibi, difficile judicium, multo longiorem magisque intricatam & difficilem reddas.

14

2

II.

ARS ut præstantior nulla, & hominibus necessaria magis, quâque ad Deum propiùs accedunt, sic illis nulla carior quàm medica, acceptiorque est; Eam Reges & Imperatores ipsi, quibus artium sola imperat, gradusque est ad Principatum, addiscere & exercere aliâs solebant, & nunc quoque nostri ferè omnes in amoribus & deliciis habent, ejusque Professores magnis præmiis & honoribus sibi alligant, suisque & urbibus & exercitibus studiosè procurant, tantique faciunt, quanti suam & suorum sanitatem ac vitam. Nullibi interim præsentiùs discrimen, si calculum medicus malè ponit; nullibi proclivior & facilior lapsus, si vera ille & genuina artis saluberrimæ fundamenta perspecta & explorata non habet. Quantas itaque curas, quantas animi contentiones & vires, in eorum delectum impendere medentem oportet, ne, dum novas adaugendæ, ditandæque medicinæ rationes, vel ipse excogitat & animo fingit, vel ab aliis inventas accipit, Artem benè constitutam temerario malorum Principiorum abusu labefactet. Quâ in re, si secum reputet quæ medicinæ initia fuerint, qui progressus, quæ Amplificatio, & unde, quibusve auxiliis ad hunc præclarum, in quo nunc eminet, pervenerit statum, si non perfectionis, perfectioni saltem proximum, statim inferet, statuetque ab iisdem sibi non esse recedendum, cum, quæ artis ortui & incremento sola præfuerunt, eam illa quoque sola perficere, ac medicum numeris omnibus absolvere possint. Ne quid tamen prætermisisse videatur, novas illas examinet rationes quibus & arti & artifici magnam perfectionis accessionem & quasi cumulum, earum authores, jure an injuriâ, adpromittunt.

III.

QUAM parum vero utilitatis & fructus redundare in medicum & medicinam, ex illâ primorum principiorum cognitione, possit, quæ nulla est vel plurimum incerta atque anceps? nullam esse si verbis negent philosophi, vel hoc ipso, quo appellari volunt nomine, confitentur; si incertam & ancipitem, eos ingens illa, quâ laborant in statuendis primis mixtorum principiis, convincit discordia. Quid enim aliud est hodierna sapientia, quàm primorum principiorum jugis & perpetua, non cognitio sed inquisitio, aut si mavis obstinata concertatio, ac varia variarum opinionum, summo cum animorum æstu semper, jurgiisque interdum, agitata dissentio? fuerit cum animâ infusa primùm Adamo vera & perfecta sapientia; illius sanè peccato extincta est in posteris, necdum illorum laboribus & vigiliis reviviscit certa illa & evidens rerum naturalium per proprias causas cognitio, quâ præditum fuisse, primùm hominem aiunt, quæque vera idæa & ab omnibus recepta est sapientiæ definitio. Illam omnes ambiunt quidem, nemo autem hactenus assecutum se esse gloriari, nec assecuturum unquam sperare merito potest, nec tam ipsam sapientiam in sapientibus vulgò dictis quàm sapientiæ, umbram dicere non ausim vel simulachrum, sed studium & amorem deprehendere est. Quid porrò studium illud sapientiæ, quid clamosa & disputationibus atque tricis plena disciplina conferre ad medicinam queat? quæ muta olim ars erat

atque utinam si non muta & elinguis, non adeo saltem verbosa nunc foret, nec tam multa in loquendo! An aliud quid præter incerta & controversa principia, & ex illis ortas & nunquam dirimendas quæstiones? si dubites, philosophorum lege scripta, scholas adi, quæ in his, illisque disputentur, auribus & oculis accipe; Problemata penè omnia, & propositiones in utramque partem agitatas, atque ideo fortasse auditoribus factas, ut quod certùm videtur & indubium, incertum argumentando & ambiguum evadat, ac de ipsâ veritate dubitare probabiliter possint, quodque experientiâ vel naturæ instinctu sciunt, nescire se fallaci ratiocinii subtilitate circumventi putent.

IV.

VERUM alius sit sapientiæ finis, alia philosophorum exercitatio, bono animo disputent de rebus, eas ut cognoscant & verum à falso distinguant, cùm incomprehensibilis natura sit, an id sperare eorum quisquam ausit? incomprehensibilem verò esse vel hinc patet, quòd, quibus ex principiis mixta conflentur, ne ipsi quidem sapientes consentiant, quotque eorum capita, tot ferè sensus, stupenda opinionum multiplicitas, infinita diversitas. Adstruunt alii principia quæ sub imaginationem, non sub sensus cadunt; Alii quæ solo percipiuntur intellectu; Plurimi ea tantùm quæ cognosci sensibus possunt. Jactant Pythagoræi numeros, juxta quos universa fiant; Ideæas Platonici rerùm omnium prototypos, mentemque præterea ubique diffusam, quæ mundi velut anima sit; Materiam formam & privationem Peripatetici; Atomos Epicurei & numero infinitas & magnitudine tenuissimas & figurâ diversas, quæ per disseminata ubique vacuola, perpetuo cientur motu; Triplex Cartesiani materiæ genus, subtilis, globosæ & ramosæ seu crassæ, aiuntque subtili constare quæ lumen emittunt, globosâ quæ transmittunt, crassâ quæ remittunt; Antiquorum plurimi, ignem, aërem, aquam & terram, alii quidem seorsim, alii verò conjunctim sumpta; Mercurium, sal, sulphur, aquam & terram, Chymici pro principiis statuerunt. Cætera quid persequi sigillatim juvat? diversa à diversis scriptoribus vulgata rerum principia; Vix ullum sine aliquâ conjecturâ aut specie rationis: Quænam verò similior hypothesis, suo quisque arbitratu & ut affectus est, statuere potest, quæ vera, nemo potest, ne sapiens quidem; Qui hominum disputationibus tradidit mundum, is novit solus. Cum itaque de primis rerum principiis nondum conveniat inter philosophos, nullam quoque esse illarum cognitionem, aut saltem omnino mancam & ancipitem, quis inficias eat? vanamque idcirco & inutilem futuram, quam in iis investigandis operam medici collocarent, incertumque & difficile judicium, quod de morborum causis & remediis in tantâ rerum ignoratione ferrent.

V.

SCITE itaque & prudenter sapientiæ studium, quod aliquibus ante sæculis quorumdam mala mens aut imbecillitas invexerat in medicinam, & quam perdidissent tandem, ab eâ separavit Hippocrates; Notabat enim divinus senex, nullum esse, nec futurum unquam altius inquirendi

finem, nunquam conquiescere posse medicorum animos & in alienâ re nimiùm esse curiosos; Quod ne iis & ægrotantibus noceret, à salutari professione hypotheses, omnia systemata exulare jussit, & inanibus principiis utilia, incertis certa substituit. Quæque ab observationibus & experimentis ducta erant & sine ordine dispersa theoremata, summâ curâ & studio collegit & in unum corpus compegit. Quibus ille solis adminiculis, peritissimi medici nomen sibi & famam confecit, adeoque suis in excelso fuit, ut si locum ei non tribuerint inter Deos, honores saltem divinos & quales Herculi & Apollini decreverint; Ipseque Imperator Justinianus illius authoritatem ceu legem aut legis rationem esse voluerit, in pandectis, ubi & summum virum appellavit. At, quæ nostrorum hominum iniquitas est, aut vecordia! Etiamsi quæ sit via quâ ad medicinæ apicem rectâ ille pervenerit, non ignorent, eâ non contenti, aliam inconsideratè & intemperanter inquirunt & sequuntur, (quæ tota devia est, & inexplicabilis, tandemque post infinitos errores in labyrynthos agit) & studium sapientiæ rursus in medicinam intrudunt. Ne tibi verò in animum induxeris, ratione & aliquâ philosophiâ in arte condendâ, ejusque exercitatione, usum non fuisse medicinæ dictatorem, eâque nolle, nos uti; Eam quæ circa causas evidentes versatur, iisque constanter adhæret, nec ultra tendit, medicis necessariam; Quæ obscuras & latentes curiosius investigat, inutilem & noxiam cum Coo Præceptore, arbitramur; Illa regit artifices observationibus & experimentis instructos & illuminat; Hæc ab arte avertit, specie majoris doctrinæ, & innumeris difficultatibus pene obruit, obscurisque & falsis quæstionibus excoecat. Medicum illa optimum nec animi pendentem quid consilii capiat apud ægros, hæc dubium semper & ancipitem facit, imo ne medicum quidem, alioquin sapientiæ studiosos, maximos medicos esse oporteret, quibus tamen verba tantummodo supersunt, deest medendi scientia.

Non ergò primorum corporis naturalis principiorum cognitio, Medico necessaria.

Domini Doctores disputaturi.

M. Petrus Azevedo.
M. Joannes Herment, Medicus Regis ordinarius utriusque Aulæ Equestris.
M. Stephanus Franciscus Geoffroy, Regiæ scientiarum Academiæ Parisiensis, Regiæque Societatis Londinensis Socius.
M. Franciscus Aignan.
M. Jacobus Fourneau.
M. Ludovicus Franciscus du Tal.
M. Franciscus Picoté de Belestre.
M. Nicolaus Bailly.
M. Joannes Daval.

Proponebat Parisiis JOANNES-BAPTISTA MONGIN, Regulensis, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1705.

Apud Viduam Francisci Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typog.